



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 89. Aliud edictum præsentente Rege in Senatu promulgatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A. C. 1561.

loquium ad sedandas de Religione diffensiones Regis jussu instituatur, in ejus causa innovetur, eaque de re lex sanciat ex Senatus consilio, religiose in posterum observanda. Ceterum colloquium illud a Cardinale memoratum, non erat aliud, quam Pisciacense quod Catholicos inter, & Protestantes eo fine habendum indicabatur, ut eos rursus uniendi media excogitarentur: illud vero a Regina propositum dicitur, ut novæ reformationis Sectatores sedaret, qui omne Concilium, cui sese submittere tenerentur, acceptare recusabant.

§. LXXXIX.

Aliud edictum præfente Rege in Senatu promulgatum.

Thuan. l. c.
Bezal. 4. hist.
Ecl. p. 468.
Comm. de statu Relig.

Post hæc Navarræ Rex, Connestabilis, Brisaccus, & Santandreas Marefcalli unacum Cardinale Lotharingio contra præfatum diploma queri cæperunt quapropter Regina pro foemina Calvinistarum erroribus infecta, ni illud revocaret, haberi verita Regem Filium suum ad Senatum conducere statuit, ut ibidem pro componendo hoc negotio utile arriperetur consilium: itaque Rex unacum Regina Matre sua, ceterisque regni Proceribus, ac Condæo Principe Senatum accedunt, ubi Hospitalius Cancellaria-

Sæcul. XVI.
A. C 1561.

cellarius Senatores præprimis monebat, ut in dicendis sententiis breviores essent, cum non de Religione ipsa, cuius causa in nationali concilio prope diem agitanda foret, sed de remediis ageretur, quibus obviam iri possit tumultibus quotidie ob Religionem exoriantibus, quibus fieret, ut publica quies conturbetur, & obsequium Majestati Regiæ debitum paullatim per licentiam evanescat. Ceterum in hoc confessu tres fuere omnino sententiæ, earumque prima petebat, ut a pœnis in Protestantes sancitis abstineretur, quousque res Concilii decreto decideretur: aliorum vero opinio eo tendebat, ut capitis supplicio, prout hucusque factum, deinceps animadverteretur in eos, qui suos errores ejurare recusarent. Tertia denique hujus rei cognitionem ad Ecclesiasticum forum remittebat, proposita capitis pœna in eos, qui congressus, aut conventus illicitos clam, aut publice cum armis, aut sine illis haberent, interdicta item concionandi, & Sacramenta administrandi libertate alio ritu, ac modo, quam qui in Romana Ecclesia observatur.

§. XC.

Jurisdictio Ecclesiastica edicto Juliano firmata.

K 4

Præ-